

que examinibus, praeceptoribus suis studiorum rationem redditurus, ut laudabili more Argentinae receptum est, undecies sese stetit, materia colloquii ex Scriptura S. et libris nostris Symbolicis deprompta. Respondendo vero et opponendo cathedras ita animavit, ut vim illis quasi fieri per nostrum DANNHAVERVS saepius per iocum diceret, ipse plerarumque, ut ex Scriptorum indice apparebit, exercitationum autor. Exaeto sic, quemadmodum diximus, Argentorati sexennio, Saxonicas Academias, munificentia Serenissimi tum Marchionis Badensis et Hochbergensis, FRIDERICI VI. cui per incomparabilem patriae Iurisconsultum et Sacri Synedrii eo tempore directorem, FELICEM LINSEMANNUM a DANNHAVERO enixe commendabatur noster, aditurus, anno clo 10CLXII. primo Heidelbergam venit, ibidemque FRID. SPANHEMIVM, FRIDERICI filium, primarium postea Lugdunensis in Batavis Academiae Professore et Io. LVD. FABRICIVM publice disputantes audiuit, hunc quidem virum mitissimi ingenii, et qui non nisi coactus ad controuersias Calvinianorum cum Lutheranis descendit, illum vero acerrimum religionis suae defenforem, in quo tamen praeter alias insignes dotes stupendam memoriam satis mirari non potuit. Inprimis autem rara humanitate exceptus et dimissus est ab illustrissimo postea Viro, SAMVELE, Libero Barone DE PVFFENDORFF, cuius et publicis lectionibus in *Hugonis Grotii* de iure belli et pacis libros institutis per duos menses interfuit. Hinc Tubingam progressus, celeberrimos Theologos, D. TOB. WAGNERVM, D. IO. AD. OSIANDRVM et D. CPH. WOELFFLINVM

NVM